

III.

NEOVIDENSIS

Nro 32. (*Neovidensis* 1805. Nro 28.)

Ex campis Elysiis
Colloquium Politicum vita functorum.

Elysium - Meum. -- Die Veneris 19. April. 1805. (Neov. 5. April.)

Virtutem Reges præclaram nomine signant;
Stirpem Lichtenstein luxque lapisque refert.
Lucida semper erat Lichtenstein gloria in armis,
Fideque constanti durior atque lapis.
Lucidus ille lapis, factis, & fide renidens,
Principis & status Austriaci est adamas.

DIALOGUS

inter Venceslaum Lichtenstein, & Aloysium Lichtenstein.

Venceslaus. In diuturna sum expectatione adventus illius; ultima ejus lucta videtur esse gravis; spissum sanè opus est divelli a gloria nostræ domus, a nobilibus nostræ provinciæ. At venientem video umbram.

Aloysius. Anima exanguis, quæcunque demum sis, indulge, ut te interrogem, ubi

sit via, quæ ducit ad habitaculum Austria-
eorum heroum?

Venceslaus. (Intra se: — Ipsus est.) Tu
forte etiam pertines ad numerum eorum?

Aloysius. Fixum est quempiam eorum in-
visere, qui in præsens adhuc ornaamentum
est nostræ provinciæ.

Venceslaus. Nisi mihi ejus nomen pan-
das, non possum tibi rectam ad illum osten-
dere viam.

Aloysius. Vocatur Venceslaus Lichten-
stein; ille est splendor nobilium, & decus
Monarchiæ Austriacæ. Nunc ergo illum no-
sces, & mihi, ubi habitet, exhibebis?

Venceslaus. (se simulans) Ain' Venceslaum
Lichtenstein? Omnino non ita pridem legi
in historia honoris, quæ in templo nobi-
lium asservatur, illum non tantum se, &
suum patrimonium, verum omnia sua pro
Domo Austriaca consecravisse, præcipuum-
que fuisse rei tormentariæ instauratorem.
Sed antiqua merita modo oblivioni tradun-
tur; alia tempora, alii homines.

Aloysius. O ignota umbra! peto veniam;
nunquam credidissem, posse aliquem in re-
gno immortalitatis tam abjecte cogitare, ut
Rectoribus meæ Patriæ ausit objicere, quasi
illos suorum fidelium ministrorum oblivio
cepisset, sed etiam me offendit hæc expro-
bratio, & diuturno rerum usui adversatur.
Percontare, si placet, ex quocunque fido
Status Austriaci cive, an notum sit illi nomen

Lichtensteinii, & miraberis, quomodo sit omnia facta, & virtutes hujus nominis enarraturus. Sed satis perspicio, te neque Austriacum esse, neque Europæum, eapropter vehementer doleo, memet sine omni fructu meis interrogationibus ad te convertisse.

Venceslaus. Videris mihi adhuc nimiam ponere in tuis popularibus gloriam.

Aloysius. Equidem maximam, sed jure meritissimo.

Venceslaus. Forte putas, nos nihil eorum scire, quæ in mundo superiore aguntur? erras, & non habes rite perspectas sedes beatorum. Patent res nobis ibidem gestæ; Nobiles trans Lethen bene meminerunt vitæ præteritæ, etiam tu, quamprimum majorem hic contraxeris notitiam, omnia experieris, quæcunque apud superos relictos concernunt.

Aloysius. Spero etiam, me nihil mali, nihil inhonesti de meis propinguis auditorum. Ille sanguis, qui in meis venis bullit, qui in meis Majoribus bullivit, qui in mea posteritate bulliet, totus est mei Monarchæ, semper reipublicæ dicabitur. Ita animatus vixi, & vivere desii.

Venceslaus. (Secum ipso: est verus Lichtenstein!) tum ad illum conversus: — Et quem te esse dicis?

Aloysius. Non aperiam tibi nomen meum; tuæ interrogationes mihi miræ videntur.

Venceslaus. Dilecte advena! moderare tibi

tantisper; in campis elysiis oportet omnes animi motus componere.

Aloysius. Non tamen veritati nuncium mittere.

Venceslaus. Veritas est æterna, & nulla animi affectio, esto eam nonnulli perperam pro tali usurparint. Interim ut fatear, quod res est, tuæ quæstiones de Venceslao Lichtenstein me attonitum faciunt. Adventantes ex mundo superiore Manes injiciunt quidem nonnunquam ejus mentionem, sed tempora ejus gloriæ disparent cum annis, sola adhuc ejus meminit subinde historia. — Ingrata posteritas!

Aloysius. Quid? nihilne audisti narrari in ultimo bello de Joanne Lichtenstein? quomodo ille ad Coneum præclara suorum Majorum facta sit æmulatus? quali fortitudine in eodem regno, in quo ejus Patruus, Venceslaus ex prælio ad Placentiam commisso victor discessit, Antecessorum suorum vestigiis insistens dimicaverit? — Ille in fortitudine, & fidelitate erga Monarcham, & Patriam non tantum imitari intendit suum Patruum, sed etiam si necessitas exegerit, superare, si tamen fieri potest, ut is superetur.

Venceslaus. Magna promittis; Dicito, quonam modo munere fungatur Joannes?

Aloysius. Est Cæsareus Regius Cameraarius, Theresiani ordinis Magnæ crucis eques, Campi-Mareschalli locumtenens, Proprieta-

rius Hungaricæ equestris legionis, Divisionis Generalis. Amicus militum, & regnans Princeps.

Venceslaus. (Intra se : quanto gaudio triumpho! ille mea facta sectabitur, nullus dubito.) Solvitne naturæ debitum Princeps Aloysius?

Aloysius. Ita est, 24. Martii extremum vitæ spiritum edidit annos natus 46.

Venceslaus. In avernum descendentes umbræ exposuerunt, illum ob fractas corporis vires non potuisse rem militarem continuare; atque in hoc statu positum nonnisi privatas exercuisse virtutes, quod ipsum gravissima affecit ægritudine; nam magnanimum ejus animum adhuc semper sibi gloria stemmatis vendicavit, indeque ejus mœror cepit incrementa, quod eum neque potuerit, neque ausus fuerit explicare.

Aloysius. Verissima hæc existima, illi tibi veritatem retulerunt. Ego illum intime novi, omnes ejus animi motus mihi erant perspectissimi.

Venceslaus. (secum ipso: Sed jam satis illum probavi, finienda est scena.) Heus peregrine in valle umbrarum! attolle oculos, meque intuere. (ornavit se vestitu, qualem Campi Mareschalli deferunt, & omnibus Ordinis insignibus.)

Aloysius. Superi! quid video? ferine potest?

Venceslaus. Agnoscis Venceslaum, tuum

Patrum? O Aloysi! (amplexantur se) & post interjectam svavissimam moram: Veni mecum, inquit, deducam te ad domicilium, ubi te nostri avide expectant. Ignosce Patruo, qui se tamdiu simulavit, teque multifariam tentabat. Nota mihi erat tua mors, ea de causa appuli ad hæc littora, ut te abducerem.

Aloysius. O utinam scirent nostri ibi superius, quanta mihi obtigerit felicitas!

Venceslaus. Nihil eos latebit, experientur omnia; properemus. (Abeunt ambo ad suos.)

BIOGRAPHIA.

Josephus, Venceslaus Lichtenstein, S. R. Imperii Princeps, Dux Tropaviensis, & Carnoviensis, Aurei velleris eques, Campi Marschallus, & Generalis Director rei tormentariæ regnante Imperatrice, Regina Maria Theresia. A. 1716 militare cœpit, & A. 1723 factus tribunus equitum desultiorum. A. 1738 Carolus VI. Imperator jussit eum legatione fungi in Aula Gallica, ubi spatio trium annorum cum omni approbatione negotia sui Imperantis tunc admodum gravia procuravit. Anno 1746 summa cum potestate præfuit Austriaco exercitui in Italia, cum quo die 16. Junii in conflictu ad Placentiam plenam de hoste reportavit victoriam, ut adeo politica Italiæ negotia pro solatio Mariæ Theresiæ e superiorum temporum caligi-

ne ad pristinum statum reduxerit. A. 1760 Lichtensteinius egit extraordinarium Legatum Parmæ, ubi per procurationem confecit matrimonium inter Archiducem Josephum, postea Imperatorem, & Infantem Isabellam. Post hæc quadriennio functus est munere Cæsarei, ut ajunt, Commissarii in electione Romanorum Regis Josephi II. Tandem cum esset annorum 75. diem obiit supremum Vindobonæ, 10. Februarii A. 1772. Posteritas veneratur in illo purum ab omni fraude Ministrum, fervidum propugnatorem jurium Domus Austriacæ, Cæsarea autem res tormentaria conditorem suæ magnitudinis. Mariæ Theresiæ throni, qui initio ejus regiminis valde titubabat, fuit firmissimum fulcrum, quæ eum post mortem posito in Armamentario Vindobonensi monumento cohonestavit. In illo amiserunt artes eximium Mæcenatem, infelices efficacem protectorem; Pauperes benignum Patrem.

2.

ANNUNCIATIO.

Domino Mathia Kirinich, in Regia Academia Zagrabiensi Historiæ Pragmaticæ Hungariæ Professore fatis functo, taliterque hac ejus Cathedra cum annuo 500 fl. Stipendio vacante effecta, Concursus pro eadem Cathedra die 3. Junii a. c. in Regia Scientiarum Universitate Pestiensi coram Facultate Philosophica celebrandus publicatur.

2.

PUBLICANDUM.

In nexu circularis Intimati, circa unum Alumnatum pro Juvenibus etiam Hungaris in neo erecto Viennensi Cæsareo-Regio Convictu clementer fundatum, cunctis Regni Jurisdictionibus Politicis, atque Literariis sub 20. Novembris a. p. Nro 25528. Excelso Loco expediti, Excelsum Consilium L. R. d. d. 5. Martii a. c. No 4950. de Benigna mente Regia ultro etiam intimandum duxit: ut ii, qui pro mentionato Alumnatu recurrere voluerint, libellos suos supplices præscriptis Testimoniis Scholasticis, & aliis Attestatis munitos, deinceps terminato utprimum examine finali anni scholastici directe Altissimo Loco exhibeant.

Ex altiori Dispositione Excelsi Consilii Locumtenentialis Regii

3.

PUBLICANDUM.

Schædam Pignoratitiam majoris valoris repertam & Excelso Consilio Locumtenentiali Regio præsentatam existisse eo addito præsentibus notum fit, terminum trium mensium a dato 12. Martii a. c. computandum præfixum haberi, intra quem proprietarius semet super hac Schaeda, velut de sua, sufficientibus probis legitimare, remonstataque proprietate, eandem Schaedam recipere valeat.
